DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

9.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu, et

Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES IGNATIUS STEINHAUER,

ANGLUS:

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCIX.

REVERENDO VIRO,

JOANNI STEINHAUER,

PATRI SUO

INDULGENTISSIMO,

HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM,

AMORIS TESTIMONIUM

GRATIQUE ANIMI,

QUA PAR EST REVERENTIA,

D. D. D.

AUCTOR.

Ante omnes morbos importunissima tussis,
Quâ durare datur, traxitque sub ilia vires:
Dura etenim versans imo sub pectore regna,
Perpetuo exercet teneras luctamine costas,
Oraque distorquet, vocemque immutat anhelam:
Nec cessare locus: sed sævo concita motu
Molle domat latus, et corpus labor omne fatigat:
Unde molesta dies, noctemque insomnia turbant.

RICHARD WEST, in Epistolâ ad Gray.

Vid. Memoirs of the Life and Writings of Gray, by W. Mason.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

MORBORUM inter gentes artibus mansuefactas ex molliore vitæ ratione oriundorum, nullus ut medici operam navent obstando magis postulat, quàm Phthisis Pulmonalis; tabes juventutis et deletrix stirpium, cujus diræ potestati, indies ingravescenti, viresque eundo acquirenti, ne aliquando hostiæ cadant totæ nationes, inter quas olim inveteraverit,

raverit, magnoperè extimeſcendum eſt. Quamobrem pauca ſuper hoc argumento differere, ut conſtitutis morigerer almæ hujus Academiæ, decrevi.

Ut igitur a definitione proficiſcar: morbus, de quo mihi eſt in hocce tentamine explicandum, ſic definitur a CULLENO:

" Corporis emaciatio et debilitas, cum tuſſi, " febre hecticâ, et plerumque cum expectora- " tione purulentâ."

HISTORIA MORBI.

DIVIDITUR Phthiſis in ſtadia duo, inflammationis et ſuppurationis, vel, ut aliis placet, Phthiſin incipientem et confirmatam. Incipientis hæc ſunt ſymptomata: Tuſſi primùm vexatus æger, crebrâ, brevi, ſiccâ. Dyſpnœa quædam

quædam adeſt ; in clivum aſcendendo, vel ſub motu corporis celere, præcipuè ſenſa. Decubitus in alterutro latere moleſtus, oppreſſionis in pectore ſenſum augens. Noctù maximè urget tuſſis, quietem relegans ; proinde laſſitudo, marcor, ſegnities. Thoracem vexant dolores lancinantes, fugaces, ex inſpiratione profundâ vel inter tuſſiendum aucti. In quibuſdam exemplis ſanguis rutilus ſpumoſusque tuſſi ejicitur. Hæc ſymptomata per menſes aliquot, plerumque ſine exacerbatione notabili, perſtant ; dum æger ſpecie catarrhi deceptus, qualis forſan morbum hunc ab ipſo longè differentem excitavit vel prægreſſus eſt, nihil periculi auguratur, neſciens omninò lateri jam hærere lethalem arundinem. Medicus non accerſitur in eo morbi ſtadio cui uni omine dextro adhiberi poſſunt remedia, donec interea tam altas egerit radices, ut εὐθανασια ſolùm miſero optanda remaneat, neque ars quicquam valeat niſi ad eam conciliandam.

Tuſſis

Tuſſis hucúsque ſicca. Quum vero aliquamdiu permanſerit, expuitur, horis præcipue matutinis, materiei aliquid, ſpumoſæ primùm, parcæ, haud rarò cum ſanguine commiſtæ, quæ mox opacior, odoratior, purulentiorque evadit. Nunc febris, quæ dicitur *Hectica*, ſecundum ſtadium inducens, accenditur. Hujus febris exacerbationes binæ ſingulis diebus occurrunt, prima ad meridiem, minus facilè diſtinguenda, quam veſperi ſequitur altera notabilior. Hæc cum languore et rigore incipit, ad mediam uſque noctem ingraveſcit, tandem hora circiter ſecunda matutina remiſſionem ſubit, et ægrotum, ſudore circa caput, collum et pectus erumpente, multum levatum relinquit. Remittentibus tuſſi et pectoris dolore, ſomno vacat, a quo autem parùm refectus expergiſcitur. Poſtridiè idem peragitur curſus. In hôc morbi ſtadio ſæpe macula rubra circumſcripta in utrâque genâ, cæteroquin pallidiſſimâ, apparet; vaſa rubra

in

in tunicâ oculorum adnata evaneſcunt, quæ colore margaritarum referente nitet; dum caruncułæ lacrymales et labia ſolitò rubriores fiunt. Calor moleſtus in manuum volis plantisque pedum ab ægro ſentitur. Lingua, ingruente morbo, albida et quaſi lutea, mox nitida, progrediente aphthis obducitur. Appetitus cibi haud, ut pro violentiâ cæterorum ſymptomatum expectaveris, minuitur. Initio morbi alvus adſtricta, ex progreſſu ſoluta, tandem *diarrhœa*, ut dicitur, *colliquativa*. Urina per totum decurſum parca et rubra, ſedimentum vel nubeculam coloris lateritii deponit. Magis magísque interdum marceſcit corpus; vires labefactantur. In feminis amenorrhœa. Macies tandem et debilitas extrema: ſubfidunt oculi, eminent malæ; tempora cavantur, ungues adunci fiunt, defluunt capilli, pedes œdemate afficiuntur. Sputa vel difficillimè excreantur, vel cum anxietate infandâ ſupprimuntur. Diarrhœa colliquativa magnoperè

augetur,

augetur, cum ſudoribus alternans; ſudoribus nempè copioſè manantibus diarrhœa ſiſtitur, coërcitis largiùs ex alvo dejicitur. Paucis ante ſupremum diebus ſupervenit delirium. Viribus demum ad ſputum ejiciendum omninò imparibus, ex ſuffocatione mors.

Hæc ſunt ſymptomata exquiſitæ, ut dicitur, phthiſeos formæ. Minimè verò apud omnes eodem ordine ſerieque obveniunt, nec pari temporis ſpatio curſum ſuum peragunt. Morbus nonnunquam inter duas tresve menſes interimit; nec deſunt exempla in quibus per duodecim vel viginti annos, et quod excurrit, productus eſt. Plerumque a ſex menſibus ad tres annos durat.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ morborum remotæ rectè dividuntur in duo capita, Prædiſponentium et Excitantium; vel earum, quæ corpus morbo obnoxium reddunt, et earum, quæ corpori obnoxio admotæ morbum ipſum ſuſcitant.

I. Cauſæ Prædiſponentes ſunt:

1. Habitus corporis hæreditarius.

Arctus huic morbo intercedit cum ſcrofulâ nexus, quam a parente in prolem vix non ſemper tranſmitti neminem latet. Qui igitur parentibus, vel uno tantum, vel utriſque, ſcrofuloſis gignuntur, phthiſei ſunt obnoxii. Tales plerumque ineunte ætate tumoribus ſcrofuloſis

fulosis afficiuntur, et licèt nulla in iis signa externa scrofulæ adparuerint, indicia satis manifesta habitûs scrofulosi observantur; nec secùs metuenda phthisis post pubertatem impetum factura. Apud eos quoque, qui immunes a scrofulâ eoúsque mansisse videntur, corpore a phthisi marcescente, glandulæ submaxillares et parotides tumescunt.

2. Temperamentum quoddam corporis.

Qui in scrofulam et phthisin proclives sunt, iis plerumque est temperamentum vel sanguineum, vel sanguineo-melancholicum; illud cute lævi flaccidâ, genis rubicundis, oculis cœruleis, venis tumidis, labio superiore crasso, capillis flavis, mollibus, animo vario admodum atque mutabili, voluptatis maximè appetente, et ingenio plerumque præcoce, notatum; hoc, compagine corporis gracili et minùs flaccidâ, cute lævi et pallidiore, sed absque flavedine,

dine, oculis nigricantibus, pupillis dilatatis, luce admotâ minus juſto ſeſe contrahentibus, capillis nigris vel fuſcis, demum eximiâ oris totiusque corporis pulchritudine, animique femineâ manſuetudine inſignitum.

3. Conformatio corporis peculiaris; ſcilicet, thorax anguſtior, collum longius, humeri tanquam alati, proceritas nimia.

4. Periodus vitæ; ſcilicet, ab anno decimo quinto ad trigeſimum quintum.

5. Tubercula in pulmone.

Hæc, quamvis a pleriſque inter cauſas excitantes recenſentur, ad ordinem prædiſponentium rectiùs referenda mihi videntur, quoniam ex ſectis mortuorum cadaveribus comparuit, multorum in pulmonibus talia extitiſſe, qui tamen nulla phthiſeos ſymptomata unquam

oſtenderint, licèt in nullis niſi qui ſigna temperamenti ſcrofuloſi prædidiſſent, ut mihi innotuit, inventa ſint. Sunt quidem tubercula maſſæ magnitudinis diverſæ; a ſeminis exiguiſſimi uſque ad fabæ molem, plus minus numeroſæ per pulmones diſperſæ. Alia, ſteatomatibus ſimilia, firma, ad oſſeam etiam duritiem appropinquantia, alia, mollia, flexibilia. Inciſa, albida plerumque et cartilaginea videntur. Horum tuberculorum de origine et naturâ in ſententias valdè diſcrepantes abierunt auctores; quoniam verò adhuc ſub judice lis eſt, diverſas eorum ſupra hoc argumentum opiniones haud mihi in animo eſt recenſere. Satis ſit memorâſſe hæcce tubercula in cadaveribus ſecandis ſæpenumerò obſervata fuiſſe, neque dubium extitiſſe quin morbo ex eorum inflammatione et ſuppuratione oriundo confectus fuerit æger.

II. Cauſæ excitantes ſunt:

1. Hæmoptyſis

1. Hæmoptyſis. Ex hæmoptoë phthiſin oriri ſæpe obſervatum eſt; ſæpiùs verò ex phthiſi hæmoptoë enaſci videtur. Vulnus ex eroſione vaſorum in hæmoptyſi, præcipue ſi vi externâ excitata fuerit, primâ, ut vocatur, intentione ſanari poſſe experientia docet: ſæpe autem, ſanguine ſtagnante atque corrupto, ſuppuratio et expectoratio ſequuntur, omnia veræ phthiſeos ſymptomata ſuſcitantes. Hoc verò non niſi in corporibus prædiſpoſitis evenire credere licet. In iis præcipue qui temperamenti ſanguineo-melancholici ſuprà deſcripti ſunt, phthiſis ſæpiùs ex hæmoptyſi oboritur, quippe in quibus reſorptio ſanguinis effuſi minus facilè perficitur.

2. Pneumonia.

Suppurationem pulmonum a pneumoniâ phthiſin excepiſſe aſſerunt. In pleriſque autem exemplis vomicæ inflammationem pulmonum

monum ſequentis, pus eſt benigni generis, facile excreatur, febris hectica abeſt, et ulcus haud difficulter ſanatur. In quibuſdam autem, præcipue phthiſei obnoxiis, pus diu in abſceſſu occluſum depravari poſſe, partim in ſanguinem reſorberi, et ſic febrem hecticam accendi, haud inficias iverim. Forſan etiam phthiſis ex pneumoniâ oriri poteſt, ob inflammationem tuberculorum adhuc inertium inflammatione pneumonicâ excitatam.

3. Catarrhus.

Ex nullâ cauſarum excitantium toties oriri videtur phthiſis, quoties ex catarrho. Talis eſt conſenſus, ob ſimilitudinem munerum quibus funguntur, pulmonem inter et cutim, ut frigore cuti applicato ſanguis pulmonem verſus pellatur, quo tubercula latentia in inflammationem proclivia fiunt. E pari cauſâ catarrhus, qui agitatione tuſſiendi in tuberculis

jam

jam irritatis inflammationem facillimè ſuſcitat. Sic tuſſim catarrhalem tuſſis verè phthiſica ſæpenumerò excipit. Nonnunquam quoque mucus in catarrho copioſiùs ſecretus in ramulos bronchiorum ingeritur, ibique corrumpitur; unde ulcera et febris hectica. Tali morbo interemptorum in cadaveribus ſectis, pulmones, ut cl. Prof. RUTHERFORD affirmat, plurimis ulcuſculis ſuppurantibus obliti inveniuntur, ſine ullis tuberculorum ſignis. Sunt qui credunt catarrhos frequentes formationi tuberculorum favere; ſed de hôc non ſatis liquet.

4. Stimuli corpore admoti.

Stimuli omnigeni ad phthiſin in corpore obnoxio excitandam valent. Quales ſunt exercitatio nimis vehemens, præcipuè organorum reſpirationis, ebrietas, &c. Aſthma a pleriſque inter cauſas phthiſeos recenſetur,

neque

neque dubitare licet irritationem in hoc morbo pulmonibus adhibitam ad eam excitandam ſæpe valuiſſe. Adoritur quoque aſthma eos præ ceteris, qui, ob thoracis formam peculiarem, in phthiſin proclives ſunt. In ſyphilitide pulmones nonnunquam ulceribus afficiuntur, hydrargyro ſanandis. Ipſo autem remedio, cui ſoli in ſyphilitide fidendum, hydrargyro ſcilicet, utpote fortiter ſtimulante, inflammari poſſunt tubercula antea inertia.

DE CAUSA PROXIMA.

Ad hoc argumentum quod attinet paucis abſolvam. Quoniam febris in genere cauſa proxima adhuc in tenebris latet, de hecticæ diſputare plane ſupervacaneum foret. Ex inflammatione et ſuppuratione tuberculorum, pureque ex ulceribus reſorpto, pendere, facile concedetur. Mutationes, quas progrediente morbo

morbo ſubeunt tubercula et ulcera, ritè conſideranti, ſatis apparebit, irritationem ex inflammatione purisque reſorptione, necnon organon gradatim ad munera ſua ineptum redditum, plurima ſigna jam memorata gignere.

RATIO SYMPTOMATUM.

Ad præcipua ſymptomata, quæ phthiſis exhibet, animadvertendum, nexûsque eorum cum cauſâ proximâ, quantum fieri poteſt, ratio reddenda.

Tuſſis ab initio occurrens ſicca, nondum conquaſſans, oritur, ut veri eſt ſimile, ex inflammatione tuberculorum inceptâ, teneres aſperæ arteriæ bronchiorumque membranas irritante.

Reſpirationis organo obſtructo dyſpnœa oritur, quæ neceſſariò moleſtior evadit inter cor-

pus

pus exercendum, ob motum ſanguinis per pulmones præter ſolitum acceleratum.

Languor, debilitas, facile explicabuntur, quum conſideremus quanta ſit dignitas organi læſi, quamque vitæ ſint neceſſariæ, quas in pulmonibus ſubit ſanguis mutationes, a morbo nunc quodammodo impeditæ.

Febrem hecticam omnes ferè reſorptioni puris adſcribunt. Quæ autem ſit cauſa exacerbationum ſingulis diebus occurentium binarum, minimè adhuc apud medicos convenit.

Ex febre omnigenâ marcor et debilitas. In hecticâ, ob longam morbi durationem, crebras exacerbationes, et immenſam nonnunquam materiei ex pulmonum ulceribus profluentis, jacturam, omnia hæc ad extrema ducuntur.

Diarrhœa

Diarrhœa cum ſudoribus alternans colliquativis, ex ſumma debilitate et relaxatione ortum ſuum ducit, jam incipiente fortaſſe humorum putredine quâdam. Ex eâdem cauſſâ delirium.

Oedemata pedum oriuntur ex tardo ſanguinis, ob debilitatem, per venas refluxu; unde pars juſto major in arterias rejicitur, inque earum exhalantia determinatione factâ, effuſio ſequitur.

Dolores in diverſis thoracis partibus, qui in nullo hujus morbi ſtadio non ſentiuntur, unde exorſi, ex jam dictis ita in promptu erit, ut res explicatione non egeat.

PROGNOSIS.

Nunquam à primo ortu periculi expers eſt phthiſis exiſtimanda. Major autem minorve aderit metuendi cauſa, prout plus minusve progreſſus fuerit morbus. Ex ſtadio ultimo, diarrhœâ ſcilicet colliquativâ cum ſudoribus alternante, nemo mortalium unquam convaluit; ex præcedente, expectoratione puris febreque hecticâ ſtipatâ, perpauci, ſi quidem pauci, ſanati fuerunt. Ex primo verò ſtadio, dum inflammatio ſolùm vel irritatio adeſt, nec ulcera ſuppurantia adhuc formantur, ſanatio ritè adhibitis remediis ſperanda eſt. Quò magis integræ vires, reſpiratio libera, tuſſis lenis, corporisque calor ad ſanitatis modum appropinquans, eò fauſtior prognoſis. Expectorationis quoque conditio perpendenda; quò enim propiùs ad puris naturam ſputa accedunt,

dunt, eò plus periculi timendum. Quum jam ſupervenit ſuppuratio, ulcera ex tuberculis pejoris ſunt ominis quàm ex hæmoptyſi, imo quàm quæ ex ulla alia cauſa oriuntur.

Maniâ ſuperveniente phthiſin inhibitam eſſe memoratur, abeunte verò illâ rediiſſe atque interemiſſe. Apud phthiſicas gravidas factas, progreſſus morbi pro tempore ſiſtitur, poſt partum curſum ſuum peracturi.

DIAGNOSIS.

Quum longè proceſſerit hic morbus, haud facilè cum ullo alio confundi poteſt; expectoratione enim purulentâ, debilitate et maciè extremis, febrisque hecticæ ſymptomatibus, ab omnibus

omnibus aliis ſatis diſtinguitur. Inter incipientem autem phthiſin, et catarrhum, magna intercedit ſimilitudo. Quamobrem maximi eſt momenti diagnoſin inter duos hos morbos prudenter inſtituere; quorum alter minimum affert periculi, facilliméque vel remediis cedit, vel ſponte ſuâ abit, alter ad ipſius vitæ extinctionem tendit, niſi ſummâ medicinæ ope præcaveatur. Ad hæcce præcipuè in diſtinguendo animadvertere oportet. Tuſſis quæ phthiſin comitatur incipientem ſemper eſt ſicca, per intervalla revertens, remiſſionesque ſubit frequenter, nec in initio multùm ægro adfert moleſtiæ. In catarrho contrà, tuſſis eſt conquaſſans, ſemper ferè excreatur aliquid, et plerumque adeſt Coryza. Subitò etiam in plerisque exemplis adoritur, cum pyrexiæ ſignis, quod non in phthiſi evenit. Quum autem ex eadem cauſâ excitante et phthiſis et catarrhus in eodem corpore inducuntur, difficillimè inter ſymptomata unicuique propria diſtinguitur.

tur. Symptomatibus catarrhi cedentibus, ſi tuſſis ſicca, ut ſuprà deſcripta, maneat, phthiſin excitatam eſſe metuendum. Si tuſſis, ut videbatur, catarrhalis longiùs juſtò duraverit, cùm ſputorum excreatione, horum inveſtiganda eſt natura; utrum, ſcilicet, ex muco ſolùm, an ex muco et pure commiſtis, conſtent. Si mucoſa tantùm, catarrhus, ſi purulenta reperiantur, phthiſis adeſt. Experimenta plurima inſtituta ſunt ad hoc diſcrimen pus inter et mucum enucleandum, præcipuè a DARWIN et BRÜGMANS. Haud omninò inter ſe conſentiunt, neque ullum eſt quod talem inter pus et mucum oſtenderet differentiam, ut hoc ſolum pro criterio ſufficeret. Ex omnibus autem ſimul conſideratis, ſatis certum enaſcetur judicium. Sat erit hìc memorâſſe hæc duo: 1. Mucus pure longè tenacior, quod quum in aquam conjicitur maximè manifeſtum. Pus enim ſemper in moleculas parvas dividitur, quæ aquam colore luteo tingunt, parte ſcilicet

per

per aquam diffuſâ, parte fundum petente. 2. Si pus in temperie calida aliquamdiu ſervetur, acetoſam ſubit fermentationem, ut ex odore et ſapore manifeſtum eſt. Mucus nullas tales patitur mutationes.

RATIO MEDENDI.

In hoc argumentum tractando, primùm conſilia curatoria, ut aiunt, generalia proponam; et deinceps medicamenta unicuique propria enumerabo.

1. Omnes cauſæ excitantes ſuprà memoratæ, quatenus fieri poteſt, evitandæ ſunt.

2. Si tuberculorum in pulmonibus ſuſpicio adſit, inflammatio præcavenda, vel ſi incepta fuerit, reprimenda.

3. Sanguinis

3. Sanguinis determinatio pulmones verſus minuenda.

4. Symptomata moleſtiora levanda.

I. Quomodo primo conſilio reſpondendum eſt, ita eſt manifeſtum, ut fuſiùs de eo differere ſupervacaneum foret. Regimen maximè accuratum ſummi eſt momenti ad morbum a corpore obnoxio arcendum. Stimuli igitur omnes nimii vitandi ſunt, talesque ſolùm permittendi qui corpus roborant atque exercent, non qui irritant et accendunt. Secundum hæc, tota vitæ ratio; cibûs, potûs, exercitationis, et qualitas et modus, ordinanda.

II. Si ſigna tuberculorum in pulmonibus latentium ſeſe proferant, dyſpnœa nonnulla, dolores pectoris lancinantes, fugaces; diætâ antiphlogiſticâ, ut appellatur, uti oportet. In hac, omnia nimia vitanda. Moneatur æger

ut

ut in temperie aëris moderata quamplurimùm verſetur, affectus animi violentos pariter ac corporis multam exercitationem aufugiat. Sit victus blandus et modicè nutriens, ex lacte et farinaceis præcipuè confectus. Si vis concoctionis imminuta fuerit, lac aſinarium præſtet, quippe cui ineſt plus pro rata parte ſacchari, minus autem caſei et butyri, quàm cæteris; hinc concoctio facilior. Excepto lacte aſinario, humanum aut equinum omnibus aliis præcellunt. Alvus modicè laxa eſſe debet; quod ni diætâ ſupradictâ efficiatur, laxantia mitia adhibenda ſunt.

Si verò ſymptomata inflammationis incipientis adparuerint, tuſſis ſicca, pulſus durus, creber, in thorace dolores, reſpiratio et decubitus difficiles; detrahatur ſanguis, ſed modicâ quantitate, ne debilitate inductâ morbus acceleretur. Multi refrigerantia, tanquam plurimùm ad tuberculorum inflammationem

minuendam

minuendam pollentia, laudaverunt. Hoc consilio acida plerumque adhibentur, nec absque beneficio. Fructus acido-dulces, ut poma, fraga, aurantia, huic morbi stadio satis idonei sunt. Si verò tracheam irritando tussim excitent, vitandi.

III. Quoniam sanguis interiora versus pulsus, morbos apud ea inflammatorios magnoperè auget, consilium in tertio loco positum utilissimum fore apparebit. Ob cutis cum pulmonibus consensum, exhalatione a superficie auctâ, sanguis a pulmonibus derivatur. Hoc igitur efficiendum vestimentis idoneis, præcipuè indusio laneo cuti proximè applicato, quo fit ut calor a corpore ipso generatus minùs facilè dissipetur; et quum vapor a cuti exhalatus facillimè per pannos laneos transmittitur, præcavetur ne superficies sudoribus madida refrigescat. Exercitatio quoque ad sanguinem superficiem versus propellendum

prodeſt. Alii laudant navigationem, alii rhedâ vehi, alii in ſede penſili motari. Navigatio præſtantiſſima mihi videtur, cæteris enim lentior et æquabilior eſt. In ea quoque beneficium adferunt nauſea et vomendi niſus excitata, quæ ad cutis actionem vimque reſorptionis generalem ciendam plurimùm valent. In regiones, cœlo modicè calido, æquabili et temperato gaudentes, peregrinari multùm ſæpe attulit beneficii. Veſicatoria quoque prodeſſe poſſunt, quum, humores ad ſuperficiem deducendo, congeſtiones in pulmonibus minuunt, doloresque lateris levant.

Ut ad quartam demùm pergam indicationem; ſymptomata moleſta levanda ſunt: Tuſſis, demulcentibus, mucilaginoſis potiùs quàm oleoſis, quippe quæ ventriculum minus onerant, lenienda. Si hæc nihil afferant levaminis, ad opiata confugiendum eſt, quæ tamen ineunte morbo, quod diatheſin augent phlogiſticam,

vitanda.

vitanda. Diarrhœa opio etiam cohibenda eſt, et aſtringentibus, inter quæ eminent Catechu et Kino. Acida et fructus recentes multùm ad alvum cohibendam valuiſſe obſervatum eſt.

Ad ſudores coërcendos colliquativos, acidum vitriolicum plurimùm pollet. Sit quoque ægri cubiculum aëre frigidulo et puro perflatum, nec ſtragulis nimiùm oneretur lectus.

In ultimo morbi ſtadio, utatur ægrotus diætâ lautiore, ne extremæ debilitatis ſenſu intolerabili ſupra modum crucietur.

FINIS.